Exponi autem possunt hæ fluxiones per Curvarum Ordinatas BD, BE, BF, BG, BH, &c. Ut si Ordinata BE $(= \frac{ADB}{1})$ sit quantitas fluens, erit ejus fluxio prima ut ordinata BD. Si BF $(= \frac{AEB}{1})$ sit quantitas fluens, erit ejus fluxio prima ut Ordinata BE & fluxio secunda ut Ordinata BD. Si BH $(= \frac{AGB}{1})$ sit quantitas fluens, erunt ejus fluxiones, prima, secunda, tertia & quarta, ut Ordinatæ BG, BF, BE, BD respective.

Et hinc in æquationibus quæ quantitates tantum duas incognitas involvunt, quarum una est quantitas uniformiter fluens & altera est fluxio quælibet quantitatis alterius fluentis, inveniri potest fluens illa altera per quadraturam Curvarum. Exponatur enim fluxio ejus per Ordinatam BD, & si hæc sit fluxio prima, quæratur area $ADB = BE \times 1$, si fluxio secunda, quæratur area $AEB = BF \times 1$, si fluxio tertia, quæratur area $AFB = BG \times 1$, &c. & area inventa erit exponens fluentis quæsitæ.

Sed & in æquationibus quæ fluentem & ejus fluxionem primam sine altera fluente, vel duas ejusdem fluentis fluxiones, primam & secundam, vel secundam & tertiam, vel tertiam & quartam, &c. sine alterutra fluente involvunt: inveniri possunt fluentes per quadraturam Curvarum. Sit æquatio $aa\dot v = av + vv$, existente $v = BE$, $\dot v = BD$, $z = AB$ & $\dot z = 1$, & æquatio illa complendo dimensiones fluxionum, evadet $aa\dot v = av\dot z + vv\dot z$, seu $\frac{aa\dot v}{av + vv} = \dot z$. Jam fluat v uniformiter & fit

sit ejus fluxio $\dot v = 1$ & erit $\frac{aa}{av + vv} = \dot z$, & quadrando Curvam cujus Ordinata est $\frac{aa}{av + vv}$ & Abscissa v, habebitur fluens z. Adhæc sit æquatio $aa\dot v = a\dot v + \dot v\dot v$ existente $v = BF$, $\dot v = BE$, $\ddot v = BD$ & $z = AB$ & per relationem inter $\ddot v$ & $\dot v$ seu BD & BE invenietur relatio inter AB & BE ut in exemplo superiore. Deinde per hanc relationem invenietur relatio inter AB & BF quadrando Curvam AEB.

Æquationes quæ tres incognitas quantitates involvunt aliquando reduci possunt ad æquationes quæ duas tantum involvunt, & in his casibus fluentes invenientur ex fluxionibus ut supra. Sit æquatio $a - bx^m = cxy^n\dot y + d\dot y^{2n}\dot y\dot y$. Ponatur $y^n\dot y = \dot v$ & erit $a - bx^m cx\dot v + d\dot v\dot v$. Hæc æquatio quadrando Curvam cujus Abscissa est x & Ordinata $\dot v$ dat aream v, & æquatio altera $y^n\dot y = \dot v$ regrediendo ad fluentes dat $\frac{1}{n+1}y^{n+1} = v$. Unde habetur fluens y.

Quinetiam in æquationibus quæ tres incognitas involvunt & ad æquationes quæ duas tantum involvunt reduci non possunt, fluentes quandoq; prodeunt per quadraturam Curvarum. Sit æquatio $\overline{ax^m + bx^n}|^p = rex^{r-1}y^s + sex^r\dot y y^{s-1} - f\dot y y^t$, existente $\dot x = 1$. Et pars posterior $rex^{r-1}y^s + sex^r\dot y y^{s-1} - f\dot y y^t$, regrediendo ad fluentes, fit $ex^r y^s - \frac{f}{t+1}y^{t+1}$, quæ proinde est ut area Curvæ cujus Abscissa est x & Ordinata $\overline{ax^m + bx^n}|^p$, & inde datur fluens y.